

I. N. S. S. T.

DISPUTATIO POLITICA

De

NOBILITATE,

Qvam

Ex Amplissima Facult. PHILOSOPHICÆ
suffragio & induituIn Illustri Musarum Lyceo
Aboënsi,

P R A E S I D E

Clarissimo VIRO,

DANIELE ACHRELI,

Eloq. Profess. Regio Celeberrimo.

Pro Gradu Magisterii

Ejusq; honoribus & Privilegiis rite
obtinendisIn Doctorum spectabili consensu publicè venti-
landam modestè exhibet

PETRUS S. FOGELBERG

Wermelandus.

Ad diem 15. Julij 1685. in Auditorio superiori
& maximo.

 Excusa à JOHANNE WINTER/ S. R. Mitis /
 in Finlandia Typographo,

Spectabili Dignitate Politissime,

Dn. CAROLE

BØLSTÆN/

Nutritie Munifice;

Officinarum ferrariarum, quæ in agro sunt
Nylandico, Fagerwijk & Villnås Director
prudentissime; Fautor & benefactor
sincerè honorande!



Erè Nobilem qværo, cui hasce line-
olas, veram laudibus extollentes
& fictitiam damnantes Nobilita-
tem, summâ licet festinatione à me
exaratas, in manus ex sincero tra-
dam affectu; dicat vero qvis me raram in sylvis
bile qværere avem: esto! Nullus tamen ager tam
incultus & prorsus sterilis est, qui non virtuosos in-
ter vitiosos, ferat, alat, & habeat, qvibus virtus
decus illud veræ Nobilitatis maximè sempèr est
cordi; Non me errasse existimo, si tibi, Spectatissi-
me Dn. BØLSTÆN/ Nutritie jàm per spati-
um Quadriennii pl. honorande, hunc qvalemcun-
que Nobilitatis donavero discursum, in Signum a-
nimi grati pro egregiis in me saepius collatis bene-
ficiis; Boni itaqve consulas qvæso exiguum hoc
munus, & in posterum favere ne deditnere Tibi ad
qvævis officia.

Scribebam in meo Mu-
seo II. Julii 1685.

paratissimo

P. S. Fugelberg.



Ad

Doctrinæ virtutumq; Laudibus conspicuum
Philosophiaæ CANDIDATUM

Dn. PETRUM FOGELBERG/
Wermelandum,

Pro Gradu in eâdem Facultate disputa-
turum, amicum dilectum & honoratum:

 Dventâsse hyemem fringilla
renunciat avis,

Ad nos vere novo garrula
hirundo redit,

Indicat æstatem sese expectare cuculus:

Autumno est tantum cernere ficedilas.

Auceps hic noster capit omni tempore
cygnos

Dulcisonos cantu sed meliore suo.

L. Mg;

ENEVALD. SVEN. Q.G.A.

S.S. Theol. Doct., bodiè Acad. Recit.

Ad

Ad viāum
Juvenem Pereximiam,
Dn. PETRUM FOGELBERG
Wermelandia Svecum.

De NOBILITATE pro summis in Philo-
phia honoribus mērito obtinendis Nobilissimē
differentem, Amicum honoratissimum.



Obilitas qvosvis extollit; si mo-
dō vera est,
Sed si non vera, est rancida no-
bilitas;
Nobilitas vera est, pietas, iustitia sancta.
Nam Fastus, Astus Nobilitate nocet,
Nobilitas studijs paratur ordine justo
Nobilitas etiam est, Martis & Artisopus,
Nobilitate nocet vitijs qui servit abundē
Nec genus aut proavi Nobilitare queant:
De tantis doctē cum differis optime PETRE
FOGELBERG/ meritā Nobilitate
nites.

L. Mg,

ANDREAS PETRÆUS.
S. S. Theol. Prof,

In Vicum

Virtute ac Eruditione Pereximum.

Dn. PETRUM FOGELBERG

Wermelandum,

Philosophiae CANDIDATUM, pro Magisterii
honoribus solerter de NOBILITATE disceptan-
tem, Hendecasyllabum.



Omen Nobile privilegiorum,

*Prisca insignia jactitans avo-
rum,*

*Commonstrans galeas imaginesque
Mirac, artifici manu superbias
Imbutas vario satis colore,
Mentes ut stupeant magis videntur;
Fundum Nobilitatis inde veræ
Nullum possidet inde certiorens,
Ni virtutis apex coruscet inter
Famæ encomia fortium virorum,
Atque heöica gesta lectitentur
Ex annalibus ominosa priscis,
FOGELBERGIUS hæc legenda prodit
Chartis artifici manu exaratis*

Dis-

*Dispellens nebulas tenebricosas
Hæc in contior institutione.
Fundamenta igitur decentiora,
Veræ Nobilitatis ille censens,
Nomen Nobile concipit Magistri,
Fundo quod sapientia recumbit,
Clarum Nobilitatis exhibetque
Fructum, nomina posteaque vita
Æternalia fert capitque claræ.*

L. mq; scripsit
PETRUS LAURBECCHIUS.

PRÆ-



PRÆLUDIUM:



N omnibus orbis Europæi benè constitutis Rebus. imò & alibi, civibus, prout *virtutibus* vel *vitiis* ardenter delectantur, servari solent vel *Præmia* vel *Pœna*, tanquam Reip. firmissimi Nervi; sicut enim insigne discrimen ipsas virtutes & vitia intercedit; æquum proindè fuerit ut *virtutum* & *vitiorum* strenui Sectatores maximè diversi diversitatem pariter sentiant Præmiorum; adeo ut uberrimum Gloriæ & honoris Decus ubique virtutis indefessos maneat cultores; folidis autem vitiorum sectatoribus paratissima constet Pœna: Hinc etiam novimus qvomodo qvælibet harmonica Gubernandi forma illustrè illud *virtutum* & *vitiorum*, *laboris* & *desidie* ob oculos sibi ponat Discrimen; ideoqve certis etiam gradibus homines distinctos collocat, ut certos sibi reservatos habeat, qvos imperii Gubernaculis dignè & optimo admoveat jure, qvi inferioribus imperent, leges præscribant & immorigeros ad earum normam ritè moderentur: alios iterum constituit parentes, à qvibus obedientia, & modesta subjectio unicè reqviritur. Hinc etiam factum existimo, ut hominum alii *Nobiles* alii v., *Ignobiles*, pro diversitate vivendi, genere pronuncientur; Et hic est modus qvem & ipse glo-

A

riosus

riosus DEUS in communi hominum societate conservanda sartum, tectumque esse voluit, quod sic in pace & concordia (sub justitiae alis) Genus coalescat hominum, & legum vigore ac beneficio ab iniuriâ malorum pulcrè vindicatum latissimè in creatoris sui Gloriam propagetur. Putant quidem nonpauci (Rerum Politicarum forsan ignari) *Nobilitatis & Ignobilis nōn esse gradus*, cum cunctis unam eandemque Nobilitatem donarit Deus, appellando sese omnium ex æquo Patrem, his forsan suffulti rationibus, quod omnes simus ex æqualibus Parentibus, quoad carnem, ideoque etiam omnes esse pares, quoad animam omnes ex iisdem quoque Patre & Matre, Deo sc. & Ecclesiâ; horum etiam opinioni ingeniosus quidam Poëtarum calculū suum lubens videtur addidisse, ita canendo :

*Si Pater est Adam cunctis si Mater & Eva,
Cur ne omnes sumus nobilitate pares?*

Hoc etiam nostri sveci vulgari & trito adagio, rem sibi visi probè tetigisse, innuere voluerunt.

*När Adam han plögde och Eva hon
span/ (Man?)*

*Hvem var som då kände nå'n Adels-
ät hisce cum distingvere nesciant inter nobilitatem communis originis, & nobilitatem virtutis, masculè nos opponimus, contrarium remonstrando: quod scilicet quidam.*

*Degenerent homines vitiis, fiantq; minores;
Sed alio siterum,*

Exaltet virtus, nobilitetq; decus: Ideo-

Ideoque etiam hujusmodi hominum distinctiones
in Rep splendidum qvid & decorum, imò admo-
dum necessarium esse adstruere sustineo; *cum*
nihil gloriosius sit Principi, quam Nobiles ha-
bere subditos quam plurimos: tales præcipue

Quos modò non census, nec clarum nomen
avorum,

Sed probitas magnos ingeniumquam facit.

Observatum etenim est qvod Principes, qvibus
Nobiles adsunt prudentes, & capaces, sentiant
sua negotia mollius fluere, si eos potissimum ad-
hibeant, qvi ad imperandum qvodammodo nati
videantur *Fr. Bac.*

Hi cæteros (qvibus cerebrum helleborus minus
purgavit) multis superant parasangis, ad eximi-
os dignitatis gradus haud rarò ascendunt, imò
ad ipsa imperiorum fastigia propter illustria vir-
tutis suæ declarata indicia collocari merentur;
qvod tamen omne unice, post Deum, virtuti ac-
ceptum ferendum, & pariter vitiis omnino impu-
tandum, qvod alii fece vulgi nunquam eximantur.
Sicut enim ipse fons veræ Nobilitatis oportet sit
ipsa virtus, qvæ tandem sui cultores Regibus &
Principibus pulcrè associat; ita vitiorum lerna
homines ad infimam Brutorum sortem turpiter
detrudit. Illi itaque qvi veræ Nobilitatis titulo
insigniri gestiunt, virtutibus Nobilitate dignis pro
viribus litare debent; secus enim i[n]ane nobilitatis
illos solum manet nomen; nam frustrâ hic majo-
rum ut ut clarorum, crepat qvis nomen, frustrâ
hic propria splendent, fulgent & jactantur insi-

gnia, absente scilicet studio virtutis: tunc enim
vita plerumque ducitur qvovis *Mediaſtino* impu-
rior, ut in tales merito quadrare poterit hoc:

*Quid tibi Nobilitas, quid clarum nomen
aborum?*

Si servus vitiis factus es ipſe tuis?

Velut alius qvis Poëtarum satis acutè in illos dixe-
rat, qui majorum suorum claritate, & rerum gesta-
rum gloriā, qvæ forsan admodum exigua, nimi-
um intumescunt, aliosq; tanquam minus Nobiles
alto despiciunt supercilie; cum tamen si res acu-
sit tangenda cuivis facile constet; qvod

*Mater erat netrix, Pater in mare retia
jecit:*

Inde tuum decorat linea longa Genus.

Contra vero Nobilis is jure salutatur, qvem pro-
pria nobilitat virtus, qvemqve propria industria
nobilem reddit & conspicuum, licet sub obſcuro
natus sit Cœlo, & ignobili oriundus Stemmate, &
longam Proavorum seriem recensere, eorumque
inſignium multitudinem ostentare nequeat.

In viridi & amœno Campo Philosophico, in
qvo oculos animumqve mirificè aliquamdiu pasce-
bam, nobile hoc, paulo longius exspatiatus inter
tot herbarum Myriades, lubens selegi Argumentum
Politicum de vera Nobilitate obtinenda, qvæ
aliàs flos & Decus humani Generis meritò audit;
qvod & nunc ante meum discessum ab illustri &
celeberrimo hoc Musarum lyceo, indultu amplif-
simæ Fac. Philosophicæ, sobriè Philosophantium

matu-

māturo judicio (auspice Deo) modestiā qvā par
est, ventilandum submittere decrevi. Interea æ-
qvam bonorum censuram hīc tenuis mei ingenii
exiguus fœtus sibi pollicetur, qvā illæsus à nocivo
Momi & Mimi dente theonino in publicam pote-
rit prodire lucem; qvos tamen tanto minus mo-
ror, qvanto melius noverim nihil nec unqvam tam
benè dictum, nec in posterum ab eruditis dicen-
dum, qvod non inique aliquando Zoilus rodat,
& pravè interpretari impio sibi præsumat ausu.
Est quidem qvod ingenuè fatear, me hæc de *Nobi-*
litate, in tantā temporis angustiā, in chartam re-
ctius conjectisse, qvam alias, ut conveniens esset,
elaborasse: feci tamen in hac celeritate, si non
ut volui, at tamen ut potui, nullibi fere inveniens
hic loci, circa hunc discursum vestigia doctorum
mihi prævia, qvibus tutò insistere licitum videba-
tur, Sed nec gratum fore cogitavi crambem an-
tœ ab aliis millies coctam in medium iterum ap-
ponere. Hunc ergò hac vice, pro ritè obtinendis
honoribus Philosophicis, movere mihi placuit dis-
cursum: optandum esset, ut si non omnibus, qvod
frustra forsitan vovetur, saltem candidis & æquis
qualiter cunque à me breviter delineatus, placeat.

Cui felix sit auspicium!

Theſ. I.

Anneqvam ulterius liceat progredi, ipsam
vocis (*Nobilitatis*) originem levi tacturus
Brachio, derivatam statuo à *noscibilitate*, & *No-*
biles à *noscendo dictos* puto; hoc est *noscibiles*
A; (non

(non v. nocibiles, sicut hujus Nobilissimi Ordinis iniqui osores contumeliosè effutire solent) *Nobiles* namque optimè decet ut præ cæteris, propter illustria exercitæ virtutis facinora longe lateque *noti*, *clari*, spectabiles, & hominum sermone celeberrimi sint, ut revera solidâ virtute aliis præfulgeant, & cuivis *noscibiles* & conspicuos se se reddant: nam hoc modo maximè digni judicantur, ut nomina eorum omnibus de meliori notâ innotescant; cui etiam sententiæ *isidorus* album lubens addit calculum dicendo, qvod *Nobilitas* nominetur quasi non *vilitas*. In literis sacris *Nobilitatis* sive *Nobilis* nomen etiam invenitur expressum, præcipiuè in V. T. appellantur enim *Nobiles* *Khorijm*, *bæn-kborijm*, filius nobilium, Eccles. 10. 17. vide Neh. 4: 19. & 6. 17. item Jes. 34. 12. eandem vocem in illo significatu usurpatam: inde procul dubio est, qvod radix *cha-rar* Chaldæis & Syris, qvi lingvæ affinitate proxime ad Ebræos accedunt, designat, *liberum efficere*, *libertate donare*. Id fere notat *liberalis beneficus*, sive *Munificus*; inde etiam olim Principes clementes præcipiuè & benigni dicebantur, qvod illos potissimum concernit, qvos virtuosus animus ultrò invitat & excitat ad aliquid promptè conferendum & largiendū, *Cyr Herdes*. Græcis dicitur *Nobilitas* *euγένεια* & *Nobilis* *euγένης*, qvod vocabulum passim in N. T. occurrit, ab honesto Genre forte dictum, qvod Teutones, sive antiquiores Germani suo idiomate efferunt, Titulo satis ample, appellando *Nobiles*; *Wohlgebohrne* & *Edelge-bohr-*

bohrte / qvi illustrioribus præcipue competit
hominibus : ipsam Nobilitatem vocant alias der
Adeler / qvod ipfis aquilam significat ; rationem
adferunt hanc, qvod penes Aquilam in antiquo
ipforum imperio omnis *Nobilitatis* fuerit scatu-
rigo . ideoq; etiam hodiè usqve habuerunt Cæsares
Rom. imò etiam modernus Cæsar Leopoldus ha-
bet hæc insignia ; nempe *Aquilam bino capite,*
expansisq; ad volatum alis. Aliis v. magis hæc
arridet derivatio, qvod Adel dicatur quasi alt
qvod priscum sive vetustum denotat ; alii iterum
hanc fovent opinionem, qvod Adel appelletur.
quasi all/ id est, totus & integer (sic oportet cer-
tè Nobiles sint *integri vite, scelerisq; puri*) hinc
Aelman idem denotat qvod Adelman ; Proinde
Nobilium filios Junccher / quasi junger Herr salu-
tare inferioris conditionis hominibus in Germa-
niâ admodum familiare est, qvi etiam mos ho-
diè apud nostrum vulgus Sveogothicum adeò usu
est receptus, ut hoc honoris Titulo juniores *Nobi-*
les promiscue honoratos velit, licet priscis tem-
poribus hoc nomen non nisi Regum & Prin-
cipum primogenitis filiis tribueretur, ut ingenuè
innuit *Herdes*, in sua *Titulogia*.

Thef. II.

Ipsam vocis expositionem excipiet Jam defini-
tio Realis, qvam pro nobis Excellentissimus D.
Liebenthal in suo Collegio Politico. pag. m. 254.
talem adfert : *Nobilitas est Excellentia, Benefi-
cio Principi in aliquem, ob virtutes Reip. & vite*

eommuni salutares & commoda, collata, quā Plebeiorum numero quis eximitur, & alia Privilegia multa consequitur. In alio plane sensu definit Nobilitatem Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 15. dum dicit: *η δὲ ἐγγένεια εἰν οὐράνιοις προσόντων δέι.* Qvod tamen, nisi exposita vocis acceptione, satis admitti non potest. Et ita facile dispaleſcit quis verè sit vir *Nobilis?* is certè qui à natura ad virtutem benè est compositus! Sene. imò *Nobilis* ille reverà est, qui strenuè antiquam Generis & virtutis Gloriam, novis in Remp. meritis, tuetur; longè secus ac ille, qui cum pessimo Censore vulgo, nascendi sortem fallacis opinionis diuturnitate metitur; & alias quam summus Princeps tam excellentem *Nobilitatis* honorem cuiquam conferre nequit, nec tanto Gloriæ choragio ritè obtinendo sufficit qualiscunque ostensa virtus, & quævis in Remp. merita; sed virtus hic requiritur excellens, quæ, illustria, & præclarissima commoda imprimis *Reip.* & alias *vite communi* pulcrè adferre poterit. Unde ipsa etiam natura quibusdam hominibus excelsam indidisse videtur indolem, quæ eximiis & non vulgaribus gaudet virtutibus, & insigni instructa est Authoritate, quæ sic distincti à reliqua inerti multitudine, *Nobilissimi*, progressu temporis ob animi heroici splendida documenta, jure evadant,

Thesis III.

PAUCIS saltem hac vice antiquitatem seu virtutatem *Nobilitatis* attingam, quæ quidem pro

pro vetustate, sive nova origine cuiusvis Gentis
sæpius variat: valde tamen ejusdem vetustas ubi-
que locorum deprædicari solet; ut *Nobilitas* quo
antiquior est, eo quoq; major, & (ut ita dicam) no-
bilior censeatur, sive quo longius *Nobilitas* proce-
dit; eò magis augetur, ut verbis utar *Tiragvelli.* c. 19.

Huc etiam digitum intendere videtur *Budæus*
commemorans, quod locorum qvorundam mori-
bus receptum sit, ut ne justa *Nobilitas* esse cense-
atur, nisi in Pronepote, & deinceps ejus, qui Nata-
libus restitutus est, id est *Nobilitate* donatus; hinc
etiam accurate observaverat jàm modò nominata-
tus *Tiragvellus*, quod in Franciâ mos diu invalue-
rit, ut recens nobilitati omnia plebejorum munia
obeant, veluti plebeji: Proindè ista sangvinis Clari-
tas, quam favorabili naturæ consensu virtus ge-
nuit, quam antiquior mundi ætas suspexit, quam
utriusqve Test. Pagina comprobavit, in hunc usq;
diem suum pondus servare debet; cum absoluta
Principalis imperii auctoritas in præclarioris facti
redhostimentum privilegia elargitur, quæ benē
meritos, & ipsorum non degeneres posteros vulgo
eximunt, eoq; clarius induunt Nobilitatis nomen,
quo antiquius avitæ Gloriæ Testimonium ferunt, ex
quo prima & præcipua excellentioris ortus Nota
desumitur, ut egregiè differit *Henr. Alers*, Quod
Antiquitatem & originem nostræ *Nobilitatis* in
Svecia attinet, ad remotissimam certè extenditur
& recurrit illa memoriam. Vocabulo *Nobilitatis*
intelligo & cōprehēdo hic *Duces*, *Eqvites auratos*,
Comites, *Barones*, & cōmunem *Nobilitatem*; Præ-

cipuē a dignitas Eqvestris omniū apud sveones, Go-
thosque est antiquissima, tanqā Præmium præcla-
rorū facinorū semp̄ habita: undē etiā ERICUS
XIV exemplo veterum Regum in Coronationis
suæ festivitate Cingulo eqvestri impertivit Geor-
gium Erici de Foglewijk; Dionysium Bureau
Præceptorem suum; Nicolaum Boijet Arvidum
Trolle. Claudium Fleming & plures alios, qvos
longa recenset serie Bureau in descriptione Sveciæ
Politiciā.

Thes. IV.

Ducibus etiam, qvos Hertog nostrates nomi-
nant, maximus omni tempore constitutit ho-
nor, adeo ut summus illis semp̄ vendicaretur e-
minentiae gradus post Reges eorumque filios. Tam
illustris autem dignitas. nec ipsis, imo ne Regum
quidem, multo minus illorum, priscis temporibus,
cessit filiis, nisi egregiis Virtutum facinoribus, &
in Patriam meritis conspicui, tam illustri autoritate
judicarentur digni; nec vetusta Regni nostri diplo-
mata illiusmodi ducibus, licet Regali oriundi esset
stemmate, ampliores assignabant communes hono-
ris Titulos, prærer Nobilis junioris Domini, sive
Junct Her; epitheta.

Comites pariter ut olim, ita & hodie sua manet
illusterrima amplissimaqve dignitas: Dicti sunt
alias antiquo nostratum idiomate ferl, qui ritu
singulari, ob singularia merita à Regibus creaban-
tur: hisce tñ. conditionibus, ut neqve ipsi Tituli, ne
dicam Comitatus, ad ipsorum transirent filios, ni-
si &

si & illi virtutes Paternas probè redolere non solum didicissent, sed & re ipsa testatum fecissent sese tales promeruisse honores. Ex monumētis historiæ Patriæ etiam notum est, hos sæpius nimio fastu intumescentes, ipsis Regibus tam immorigeros factos, ut non sub vererentur illis sese strenuè opponere; pro meritis itaqve, hisce Comitibus refræ natis, per aliquot Secula eorum dignitatum Tituli prorsus siluerunt, donec superius memoratus *Rex Ericus XIV.* ejusqve successores eosdem Titulos iterum introduxissent. Anno namqve 1572 Comitum Titulis & splendidissimis insignibus donavit idem reverenter memoratus *Ericus XIV.* Rex Svecorum, in ipso solenni Coronationis suæ actu hosce Regni Magnates, *Svantonem Sture de Wåsterwijk*: *Petrum Brabe* ex illustri illa antiqua Danorum Familia *Bragde* antea nominata suum Amtinum de *Wijssingeborg* & *Gustavum Johannis de Voogesund*;

Baronum v. Auctoritate & eximio dignitatis splendore nullus eqvidèm in amplissimo Svecorum imperio adhuc ante citata tempora ornabatur; sed hic satis illustris honoris Titulus in hisce oris borealibus, prorsus cunctis erat ignotus, donec *Gustavus Olai de Torpa*; *Sveno Erici de Gräffinäs* *Claudius Christierni de Åminne*; & denique tempore *Johannis Tertii*, *Pontus de la Gardie* natiōne quidem Gallus, sed exercitus Svetici felicissimus & invictissimus dux contra numerosissimas Moschorum copias, in Præmium probatæ virtutis, certissima Regum beneficentiâ ad tanti honoris sagitgium

stigium, cum pluribus aliis, quos prolixum hic
esset enumerare, elevarentur.

Theſ. V.

UT ad rem proprius deveniamus, infimæ *Nobilitatis* Classis amplas Prærogativas & ho-
norificas ejusdem conditiones visuri. Scilicet
illorum, qui communis *Nobilitatis* nomine, (alias
dicuntur hi *Nobiles inferiores*) veniunt, hic me-
minisse placet, qui nec ullo modo suis defraudandi
sunt Encomiis, cum ipsorum majores tantum vix ad-
epti sint honorem, nisi quod vel in cruentis Bellis,
expeditis essent conspicui armis, vel etiam quod insignis
eorum prudentia togata saluti profuerit Reip.
& Posteri illorum vestigiis pulcre insistentes sele ta-
li honore dignos fecerint, vel etiam insigni aliquam
rerum scientiâ, quæ commodis Patriæ non parum
consultit, excellenter instructi, ita emerserint, ut
qui in numerum *Nobilitum* tandem reciperentur
digni sint habiti. Et hunc honorem, non sibi so-
lum, sed & toti suæ posteritati delatum, quasi ma-
gnum magnæ virtutis referunt Præmium; Nam
*virtus est perpetua & immortalis, & sepè in hero-
icis animis, ad seros extenditur nepotes: eorum
itaque est, ut & Posteri eorum hoc Præmio perfru-
antur: Ciegler.* Et ut eò evidentius virtuti suum
constaret Præmium, *magnificis Titulis, & amplis-
simis munieribus, annulis, & catenis aureis virtutis
alumnos ornatos pia & cordata voluit Regum an-
tiquitas, imò & hodie illos novorum cognominum
impositione, & insignium splendore Potentissimi*

Reges

Reges & *Principes* benignè dignantur ; verum ut tam varietas nominum, qvam diversitas *insignium* illustres Nobilium Familias Distinctissimas redde-ret, qvò sic optimè possent dignosci ; Priscis qvi-dem seculis raro *Nobilitas Svetica cognomina* (exceptis Patronymicis) usurpavit, undè non modica confusio & perturbatio veterum Familiarum Nepotibus fuit relictæ ; Cui evitandæ *Nominum* & *insignium* diu nunc usu recepta distinctio egre-giè inservit. Sufficere credo, si unius, alteriusq; Gloriæ vetustate, virtutisq; heroicæ splendore in-signiter coruscantis Familiaæ (in superioribus tn. *Nobilitatis Classibus*) insignia, qvæ nobis moderno tempore Arswapn dicuntur, hic saltem pau-cissimis ostendam verbis : illustris & Generosa illa Familia, qvæ hodiè agnomen *Gyllenstierna* usur-pat suis insignibus satis est conspicua, in qvibus ap-paret stella cœrulea septeno auri radio Copiosum è regione evibrans fulgorem. Prae*lustris Ribbin-gorum* pariter familia suis abhise (& simili modo omnes reliqvæ) distinctis splendet insignibus: ha-bet namq; *terna Nymphæa folia*. caule prolixius instructa, sicut B. *Messenius* in suo Theatro hi-storico Rerum Memorabilium Sveticarum in ver-naculam nostram nunc translato lingvam, longa qvidem serie, hæcce verē Nobilium delineat virtu-tum insignia ; qvibus sortem vulgarem longè su-perasse videntur, imò adhuc, & in posterum jure qvæsi hæreditario nunquam non sapere ipsorum minores jubentur. Atq; hisce ita brevitè præcognitis, præscriptum nostræ Methodi nunc fortè

fortè postulat ut pàucis àgàm de verà Nobilitate rite
tè obtinenda, ad qvam optimam patefacit viam
(ut rem verbo exprimam) *solida virtus*.

Theſ. VI.

Sunt qvidem non pauci, qvi existimant veræ Nobilitatis Genitricem esse ipsam Naturam, adeò ut Nobilibus natos parentibus, nullo servato virtutis & vitiorum discriminē, (non tñ. sine insigni excelsi Nobilium ordinis laſione & injuriā) in numerum Nobilium referre conentur; sed minus recte, cum ipſa rerum experientia frequentius evincat plurimos Heroum filios evadere noxas: ut in trito fertur adagio; simpliciter qvidem non est, qvod inficias eam, qvin sàpius Generatione ex Parentibus etiam filii, filiæque nobilitentur, si modo crescentibus annis, majorum suorum strenue sectentur virtutes; illa n. Nobilitas, qvæ hoc modo ad posteros transmittitur, omnium perfectissima, & maximè absoluta judicatur; sempér v. ex voto & sententiâ parentum hoc non cadit, sed ipes & judicium illos aliosque turpiter sàpius frustrat, sperare qvidem, non v. pro certo affirmare licet illos omnes qvi lineamenta referant oris, necessariò etiam relatuos fore parentum suorum virtutes! Fons a. veræ Nobilitatis augustissimus, limpidissimus & uberrimus est propria cuius vis virtus, & ex hoc fonte omne Nobilitatis promanat Decus: Ciegler. Exemplo fortè res adhuc clarior evadit: Multi humilimo oriundi sunt genere, virtutem tamen indefesso labore colendo tandem Regū & omnium hominum Nobilissimi sunt facti: Con-

trario-

trario modo, multi virtuosissimis nati Parentibus
pessimi & quibusvis vilissimis homuncionibus
ignobiliores evasere. Non itaque est, quod quis de
majorum multum glorietur *Nobilitate*, quae in ob-
scura posteritate forte exstincta jacet: Nam quid
aliud talem *Nobilitatem* esse existimabimus, quam
vel antiquas divitias vel antiquam Gloriam? qua-
rum rerum neutra in filiorum est potestate; siquidem
altera in fortunae arbitrio sita est, altera ex
intemperantiâ humana proficiscitur:

A duabus igitur rebus alienis superbum hoc
Nobilitatis pendet nomen, ut acuto differit judi-
cio Excellentissimus Tiræqvellus; rectius itaque
illos fecisse opinor, qui sola virtute, eaque solida
Nobilitatem præcipue metiantur; nam: *Nobili-
tatis sola est animum que moribus ornat.* fin. v.
Nobiles sanguine pariter etiam propriâ coruscant
virtute; horum *Nobilitas* maximè perfecta &
absoluta judicatur; quales v. isti sint, qui Gene-
ris Nobilitatem adeò venditent, atque inde sibi
placentes erigere soleant cristas, paucis edisseram:
tales scilicet, qui nullum proprium possident bo-
num, sed perpetuò pendent ab alienis, & ab his
qua sunt fortunæ; cum enim propriis destituantur
bonis, ad majorum suorum configunt imagines;
non intelligentes quod ista Generis Nobilitas, qua
vehementer gloriatur, similis sit singularum Ci-
vitatum publico Numismati, quod apud eos qui-
dèm valet, qui illud cudendum fecerunt, apud a-
lios vero adulterinum habetur; imò simplicissi-
mum nostrum vulgus rem ita fese habere optimè
novit in trito Adagio dicendo;

Quidel vthan Dngd ár Qnchta vthan Liis.

alias enim licet maximè (ut cum Poëta loqvar)

Sit tibi Gallerum Rex & Regina Parentes,

Et maneat virtus pectori nulla tuo :

*Non pluris faciam te, quam tibi Rustica
mater*

Si sit, Egnarius Rusticus ipse Pater.

nam qvi Generi suo non respondent, magis certè
contemnendi , qvam unqvam obscurò loco nati.

Thes. VII

DIvortia sententiarum hic satis musta pro va-
riete Doctorum occurunt, qvæ variis mo-
dis & mediis pro Nobilitate acqvirenda stren-
uè militant ; Afferunt nonnulli divitias Nobili-
tatem conferre ; verum hic sciendum divitias in-
signes & nobiles minimè facere , nisi qvod possint
bonis operibus clariores reddere ; imo audeam &
hoc addere qvod divitiæ, qvatenus ad virtutem sit
respectus, sua natura admodum viles sint ; Res a,
viles nobilitatem cuiqvam dare non poterunt ;
qvia cadunt etiam in vilissimas & infames personas
omnium dignitatum prorsus incapaces . Notum
præterea est, qvod nimia divitiarum affluentia mul-
tos adeò in transversum sæpius rapiat , ut virtute
non freti, sed opibus elati, omnibus sese mancipent
vitiis, velut omne qvod lubeat. ipsis etiam liceat.
Sed : deponantur, qvotqvot obstant ejusmodi for-
tunæ mendacia, corpus ipsum potius exuatur , &
animus pateat, qvalis qvantusqve sit alieno an pro-
prio magnus ? præcipue

Cum genus & proores & quae non fecimus ipsi,

Vix ea nostra puto - - - - -

ubi vero opes cum virtute conjunctæ, imo rectè collocatæ præsto sint, nescio qvid non egregii ut ipsius Nobilitatis radii clarius sp'endescant (effice-re valeant! hoc quidem haud rarò usu venire solet ut Nobilitas ex ipsis surgat divitiis, eæ tamen (licet sint Cræsi numerosissimi numi) verè Nobilem non faciunt: hæc emptitia audit Nobilitas, quam nun-
qam indoles veræ Nobilitatis sociam agnoscit: qvot n. cernere licet, qui aliquantispèr divitiarum ficitiâ Nobilitate apparenter saltem clari & con-spicui, ad summam mox redacti sunt paupertatem, ut reverè fateri cogantur opes suas injuriis tinea-rum & ferruginis esse obnoxias, furum prædam, hostium rapinam, ignis & aquæ escam, impostori-bus materiam doli & fraudis. Elumbis igitur & miserabilis sit *Platus*, (non dicam *Nobilis*, cui tam viles & illicitæ res Nobilitatem derogare possint) qui tot injuriis expositus opum suarum auxilio pristinæ dignitati se ipsum restituere nesciat; hæ potius umbram, quam veram Nobilitatis Faculam à se projiciunt.

Tbes. VIII.

Duo igitur valida & maximè robusta Brachia, vi excellentis virtutis, illustre Nobilitatis si-bi arripiunt nomen, quæ eximiis prærogati-vis virtutis assiduos alumnos insigniter beant, & splendescere faciunt; Per alterum brachium *Virtutem militarem* hic intellectam volo; per alte-rum vero *Virtus Civilis* indigitatur, quæ ambo Nobilitati acquirendæ pulcrè potissimum inser-

viunt : vera n. fortitudo bellica , seu magnitudo
animi tanta est, ut pro salute Patriæ Res in bello
fortiter, strenue & saepius gerat, quæ semper ge-
nero sum & nobilem præsupponunt animum:
Nam hoc optimum & sibi proprium reservat ge-
nerosus animus, ut ad honesta concitetur ; nem-
nem enim excelsi ingenii virum humilia & fodi-
da delectant, sed necessum est tanti Herœs maxi-
mis inclarescant rebus bellicis fortiter gestis , &
hanc fortitudinem Martialem domestico etiam
exemplo egregie ostendant ; alias parum decori
forsitan erit strenuum esse in bello, si domi male
vivatur ; ut veteres admodum scite dicebant : nec
sufficit hic pro Titulis & insignibus illustris Nobis-
titatis dignè reportandis , qualisunque vulgaris
in Bello strenuitas, sed excedat oportet longissimè
fortem vulgarem , adeò ut prospera tentare, ad-
versa comminuere , & aliis admiranda despicer
sciat ; quod cuiusvis certè non est tam intrepidè
ingruentes calamitatum turbines vincere, terro-
resque sub jugum mittere; & denique ipsum fo-
mitem vitæ, sanguinem, Patriæ non denegare .
Aler. jure igitur meritoque vetusta consuetudo
virtutem militare civili seu togatae prætulit, quam-
vis utraqve suis laudibus & encomiis satis conspi-
cua existat ; Primas tamen sibi quasi debitas ven-
dicat fortitudo , quod vel inde colligitur , quod
cordata antiquitas hujus cultoribus, sive intrepidis
Martis Pullis clarissimos titulos ac nomina assigna-
rit ; sic Imperatores quondam ideo dicti fuere ,
quod exercitibus imperarent : Duces quod ducen-
dis

dis exercitibus in agrum hostilem præsenterent ; &
hæc splendida honoris nomina primum quidem
ante multa secula honorifica designabant officia,
postea vero, præcipue tempore *Caroli Magni* di-
gnitatum facta fuere atque inde etiam imagines,
coronæ, insignia, clypei, armaque in tesseram
rerum à se præclarè gestarum bene meritis attribu-
ta fuere ; horum autem nec hodiè, nec fortè cras
(etsi avidè hoc discupiant) inseruntur numero
μαυρότεροι illi, qui nullo facinore bellico clari
in focis Paternis perpetuò sordescunt, & nihil a-
liud sciunt, quam miseros & infelices Rusti-
cos vexare & exugere : inter hos quam magnilo-
quum hic audias *Harpalum ab aureâ Rupe!* quam
tantum spirant hi torvo vultu ferociam, & fortitudinis
minas in conviviis simplicis plebeculæ ! cum ta-
men visâ saltèm hostium acie, pusillanimi isti adeò
contremiscant, ut hiscere non audeant, sed turpi-
tè fugam capescant ; Errant itaque totâ, ut ajunt,
via illi, qui hosce licet amplissima profectos gente
à vulgari fece distinctos velint, quin potius terræ
inutilia pondera tales appellandi, qui hoc vel alio
modo sibi aliquam maculam probri attraxerint.
Naufragii jactura aliquo quidem modo reparari
potest sed hæc vix omnibus Oceanî abluitur undis ;
tantum, abest ut hi præclari nominis innocentia
emineant, ut potius infamis turbæ necessitudi-
nem participant, imò injurii ipsi naturæ, quæ vul-
garis judicii fallaciam evincit, & ingenuæ Nobili-
tatis censum terminat ; celeberrimus Joh. Bohe-
mus de hisce vehementer conqueritur, inquietus ;

Esset Germania nostra ter quaterque felix, si tauri
isti Dionysii, & Phalarides aut ejicerentur, aut sal-
tem, ipsorum Tyrannide refrænatâ & potestate di-
minuta, privatim nobiles vivere cogerentur.

Theſ. I X.

Nomine civilis virtutis hic consideranda po-
tissimum ſeſe offerunt *justitia, eximia juris*
Civilis Cognitio, & eloquentia sive facun-
dia dicendi: & harum affidui cultores illustri No-
bilitatis faculâ præ ſe latâ ſæpius ſolent imò debent
ſplendescere. Qvanta inter reliqvas virtutes civi-
les tribuenda ſit *justitiae laus*, non ignorabat *Age-*
filaus Rex Lacedæmoniorum interrogatus, utra
virtus eſſet Prætantior *fortitudo*, an *justitia*; re-
ſpondendo fortitudinis exiguum vel nullum fore
uſum, niſi adſit & *justitia*: Primū itaque hæc vir-
tus occupat facile locum, cum ſit augſtior ad
Nobilitatem obtinendam, & ex Ethicorum unani-
mi consensu ſuo ambitu cæteras omnes compre-
hendere dicatur, nam :

Justitia in ſeſe virtutes continet omnes;
Qvænam enim gloria poſſit eſſe major, qvæ fir-
mior ſempiternis ſeculis, qvam famâ exercitæ
justitiae amari ab omni hominum genere? eſt e-
nim fundamentum perpetuæ commendationis
justitia, ſine qvâ nihil poſteſt eſſe laudabile, nihil
honestum qvod ipsâ vacet; *Ex hujus fonte Regum*
& Principum potestas eſt nata: pro *hujus vi &*
vigore ſartis teclisq; mansuris optimates cuique
conſtituti ſunt Regno, Herdes. Sic Reges à re-
gendo dicti, qvod errabundum regant populum:

Prin-

Principes sic appellatos existimò, qvod primum
in administranda justitiâ teneant locum: *Comes*
insignis *Nobilitatis* & honoris est titulus, qvi pa-
ritè hinc suum nomen agnoscit derivatum; *Co-
mitis* enim nomine hodiè usqve ideo apud lati-
nos Nobilissimi qviqvè honorantur, qvod olim
præcipuæ *Nobilitatis* viri Imperatores ac Cæla-
res, in administranda *justitiâ*, & adeundis majo-
ribus periculis fidelitè comitarentur, suamqve
operam sedulò illis præstarent. *Comes* Germanis
sonat *Graffe* qvod vocabulum Præsidem *justitiæ*,
sive judicem significat: Eodem significatu venit
& *Landgraffe* judex provincialis, qvi ruri omni-
bus jus dicat: & *Marggraffe* qvi accolis limi-
tum Regni sive in locis limitaneis jus administret.
Hinc qvam necessaria eximia eruditio, & scien-
tia literarum hic *Nobilibus* sit, ut propriis non
alienis videant oculis, qvid rectum, qvid cur-
vum, qvid æquum, qvidvè iniqvum sit, propria
loquitur experientia: *turpe enim est Nobili
Reip. cui natus est ignorare jus.* Cic. imò turpe est
Patritio & Nobili viro, & eausas oranti jus, in
qvo versatur, ignorare: hæc otiosa non sunt ver-
ba, sed excitantia viros *Nobiles*, ut cognitioni
juris civilis operam dent summam; *Plutarchus* in
lib. *Politicorum* ad Trajanum fidelitè monet *No-
biles*, ut jus civile ediscant, justitiamqve observent.
Sed dolendum qvod tam raro videam *Nobiles*
legam peritos, And. Iser. pudet sanè profiteri
qvam pravos hoc nostrum seculum plurimos ge-
genuerit *Nobiles* (si saltem ità illos nominare li-

ceat) qui literas, eārumqe assiduos cultores cāne
& angve pejus oderunt, imò literatorum hominum
iniqvissimi existant osores, cum tamen major e-
ruditio in *Nobilibus* reqviratur quam in Plebejis
& ignobilibus: nemo enim sane mentis negare
poterit doctrinam & eruditionem, si quidquam
aliud, Nobiles decere atque cohonestare, contra
verò ignorationem disciplinarum illos valde
dedecere atque debonestare Testimonio Q. Mutii.
Adficere audeam Nobiles literatos dupli fulge-
re Nobilitatis splendore, hinc etiam dupli digni
honore: si alias quarratur de *Nobili* & igno-
bili æqualibus meritis & scientiā? ille huic certè
semper præfertur, qvia dupli cohonestatus di-
gnitate superat illum qui alteram tantum habet;
ast multos nunc videre licet nobili quidem oriun-
dos stemmate, adeò tamen literarum ignaros,
ut tria non intelligant verba *Plauti*, quibus
fungum pro cerebro datum putares, si ad examen
provocentur rerum civilium; Nonnè itaque ple-
bejus literis, eruditione, rerumque civilium soli-
da cognitione clarus hisce optimo præferendus
sit jure? cum eruditionis decus tam præclarum
sit, ut præter quod adhuc magis exornet genero-
sum natum, etiam *Nobilem* ex obscurō faciat,
teste *Cassiodoro*; ideoque reqviritur omnino, ut
quò qvis altius originem ducit, eo etiam majori
nisu literas sibi familiares reddat, quo sic facili-
us ad majorem ascendat dignitatem, nisi alias
suo generi pessimam velit aspergere maculam, &
animadvertere quomodo humiliori orti stirpe be-
neficio

neficio literarum, & virtutis nitore ignobilitatem suorum majorū egregiè rependere conentur.

Theſ. X.

Et ut ſalva & illæſa conſervetur maneatq; ipſa *justitia*, in illis, qvi verè *Nobilibus* adnumerari geſtiunt, reqvirimus exactā juris civiliſ prudentiam, qvæ à *Præſide justitiā*, præcipue manat, qvæq; ſalutem civium, pacem publicam vitamq; hominum fortiter tuetur; ejusq; debitores dicuntut *Nobiles* ſive *Principes*, illi verò, qvi hanc ſibi notiſſimam reddidere, *Nobilissimi* vocitantur, & armatis comparantur militibus: qvomodò autem *justitiam* ille cuiq; adminiſtrare poterit, qvi *ipſe jus*, in quo versatur, ignorat? & ita Nobilitatis prærogativis, & privilegiis prorsus indignus. Multi autem ex tenuibus initiiſ *Nobilissimæ* hujus, & ex judicio *Platonis*, Regiæ disciplinæ ſolidâ cognitione, & ingenua interpretatioue inclauerunt, imò in ſummo habitu ſunt honore. Exemplis mea assertio manifestior erit: *Cicero* probata legum peritiā Pater Patriæ ſalutatus inter applausus publicos, demum conſenuit consul celeberrimus Romanorum. *Alpheno* antea Tabernæ ſutrinæ alumno nobile Romani consulatus munus exculti juris titulus detulit; *Ulpianus* paritè, ob juris inſignem peritiā *nobilissimus* vocabatur; hinc etiam multi, jure qvidèm optimo, propter acqviſitam juris cognitionem, hodiè ampliſſimis Docto- ratus decorantur honoribus, & Albo Nobilium ritè inſeruntur; Et mirum cuiq; videretur, qvod

Ibera & Hetrusca Nobilitas adhuc maximum
privilegii sui Pondus doctoratu metiatur, ut ele-
gantè *Alers.* Hinc autem omnino exclusos vo-
lumus imperitos Rabulas forenses, qvi illotis ma-
nibus jura contrectant, & in forum, quasi in im-
pudentiæ ludum cruda propellunt studia; nam
plerumqve sunt tales, qvi vix primis (ut dicitur) la-
bris juris hauserant notitiam; hos *Apulejus fo-*
renzia pecora, & togatos vocat vultures; qvorum
pascua iniqvas dicit esse causas: *Quorum si na-*
res afflaverit cujuquam rubiginosi aura marsu-
pii, confessim videbis oculos Argi, & manus Bri-
arei, Sphyngarum ungues, & perjuriam Laome-
dontis, ulyssis argutias, Sinonis fallacias, fidem
Polymnestoris, & pietatem Pigri Leonis adhibe-
ri: ut illos stricto depictedos exhibet penicillo
Cassiodorus, & post ipsum Herdes. aliiqve benè
multi: nos vero probos ab improbis, peritos
ab imperitis distinctos hic volumus, ut illos pro-
merita laus, hos vero dignum maneat vituperium.

Thes. XI.

Instar Matris qvæ plures peperit filias, & arbo-
ris, ex hujus radice multi pullularunt surculi,
ipse amplissimæ Philosophiæ valdè fœcundus est
ager, è cuius sinu gremioqve plurimæ prodiere ar-
tes Nobilissimæ, qvi sui cultores haud raro ad cul-
men evehunt *Nobilitatis*, qvos & *Diogenes* olim
videns, cum vitæ humanæ examen meditaretur,
nullum homine sapientius vivere animal dixit.
Ideoqve non video qvid obstat, qvo minus Pro-
fessores solidè docti sorte Plebejorum exempti No-
bilium

bilium qvoqve cætui accensantur (qvod & sèpius in nostro Imperio SveoGothico factum est, dum summa Majestas Regia illius ordinis viros in numerum Nobilium adsciscere clementissimè dignata est) cum hoc meruerat indefessus illorum labor, postulet Rerum civilium accurata, qvâ pol-
lent, cognitio, & flagitè ipsorum virtus: nam ut umbra corpus, sic honor virtutem subseqva-
tur conveniens videtur; ubi secus evenerit, stu-
diorum pretia illis iniqvè auferunt, qvi omni
Privilegiariæ Nobilitatis fructu illos destitutos
cupiunt. Antiquis temporibus non paucos certè ad
Nobilitatis fastigium evehebat eloqvi vis, &
prudens facundi oris ubertas; adeò ut quanto
qvisq; plus dicendo poterat, plus apud Principem
Gloriæ, plus auctoritatis apud Patres, plus noti-
tiæ ac nominis apud plebem parabat, teste Quintiliiano: & hoc qvidèm optimo jure, cum fa-
cundus prudens & salutaris oris sermo talis sit,
qvi hominem rationalem à Brutis distinctissimum
faciat. Præterea verè Nobiles vix existunt illi, qvi
beneficio oris limatioris judicii fructus in ipso
pectore delitescentis depromere turpiter nau-
ant; ut exempla prorsus infinita abundè testantur.
Sed temporis brevitas me rem paucis exprime-
re jubet; Solā virtute acquiritur & conservatur
vera Nobilitas, vitiis v.& fôrdibus eadem turpiter
amittitur & perditur.

Tantum.

Gloria sit Patri! sit Nato Gloriam! Sancto
Gloria Spiritui! Triadis sit Gloriam semper.
B; Egred

Egregiæ eruditionis Candidato
Salutem.


Nter cæteras gratulantiū voces &
pia præconia, mea quoque officia
libenter habebis: Si quid judi-
care possum, scriptum hoc lau-
dem meretur propter rerum notabilem copi-
am, decentiam orationis, & profundioris a-
nimi accuratam limam. Non errat & de-
viat, non aliena per crines trahit & miscet,
non turget vanitate nec luxuriat quotidiana-
nis novellis; Procul etiam puerilis ille ci-
tationum apparatus; in quem sic declamat
alicubi doctissimus virorum Augustus Buch-
nerus: movit mihi risum saepius cumulus
citationum, cum nota omnibus & divul-
gata multis testimentiis fulciuntur, &
propè religioni est vel verbum sine au-
ctore ponere. Qvod profecto aut humili-
lis hominis est, aut inanis, nam vel diffidunt
lectoribus citatores isti; & metuunt ut sibi
habeatur fides; qvo nihil abjectius; aut mul-
ta legisse videri volunt; Qvod etsi præcla-
rum, id ostentare tamen, puerile est. Qvan-
quam saepius accidit, ut citatores isti, ne
sextam eorum librorum partem, qvos lau-
dant

dant vel inspexerint nedium legerint. Et tamen videri velle novisse omnia atque legisse, qvamtam levitatem habet! mihi eorum ratio placet, qvi non ostentant eruditionem sed præstant, hoc viros, hoc doctos decet, hoc utilitatem pariter & admirationem habet. Monitum prorsus aureum, prorsus gemmeum; Qvod utinam impressum esset mentibus universæ literatæ pubis, facili negotio addisceret illa ab argento plumbum, à vulgari saxo magnetem, à tritico avenam distinguere; Et nos quoq; qvibus commissa est Informationis cura uberioris lætaremur, cum intelligimus labores nostros non frustra collocatos, cum videamus pulpita Lycei ornare discursus non pueriles, non Scholasticos & millies recoctos, sed verè Academicos, per quos floret religio, stat justitia, augetur sapientia, roboratur gloria & potentia imperiorum. Vale.

Tuus

D. ACHRELIUS.

Ad

Ad

Virum-Juvenem

Spectatæ virtutis & eruditionis,

Dn. PETRUM FUGGERBERG/

Sanioris Philosophiæ Candidatum soler-
tissimum, amicum & Commilitem meum hono-
randum, de *vera nobilitate*, pro nobili
Magisterii, quod ajunt, gradu, dispu-
taturum $\omega\sigma\varphi\alpha\eta\eta\sigma\varsigma$:



*Obilis est vulgo, qvamvis delin-
qvat agendo,*

*Quem genus in multis nobi-
litavit avis:*

*Nobilitate tamē præstat, qvi lumine mentis
Clarius illustrat seqve suumqve genus;*

*Vel, ut Tarpejus simul inclytus Induperator
Nec non Marte potens, Æmilianus ait:*

*Non genus, at genius: non gens, sic crede-
re fas est,*

Sed mens nobilitat nobilitata virum.

AND. WANOCHIUS

Pbil. Præcl. & Hist. Prof.

Fac. Phil. Decan.

Ad

Ad virum juvenem apprimit Ingeniosum,

Dn. PETRUM FOGELBERG.

Philosophiae CANDIDATUM meritissimum, pro gradu de Nobilitate disputaturum,
anicum suum per dilectum

ARdua sanè pugna & fortè non omnibus grata de nobilitate diu fuit, cum non pauci in illis militant eastris unde contemnenda illa evolat sententia: *Nobilis est qui ex bono prodiit genere:* Eorumque arma qvibus phantasma suum defendere conantur, sunt eqvidem præter alia hæc seqventia. *Ciceronem filium qvæ res Consulem fecit nisi pater?* qvæ *Antoninum patri succedere procuravit?* *Cinnam* qvidnam ad consulatum recepit ex hostium castris? qvæ *Sextum Pompejum*, aliosque Pompejos nisi unius viri magnitudo? Hisque & aliis contendunt nobilitatem per multas personas in descendentes propagari absqve propriâ alicujus virtute! Sed qvam fragiles hi sunt eorum Clypei, facilè rectè sentientes deprehendunt. Nam ex optimo & præclaro nasci parente, ortumque ex egregiis majoribus ducere in se honorificum profectò est, ut qvaliscunqve sit, sub umbra majorum suorum lateat, & eorum luce veluti, loca sordida repercuSSI solis illustrantur, resplendent. Sed majori tamen in laude is habetur, maiorque honor eum comitatur, qvi gramina virtutum ex parentum sanguine sibi infusa egregiis fa-

ctis

Etis crescentia facit, & semet ipsū nobilitat. Videtur
qvidē Nobilitas aliquā esse qvæ de meritis provenit
parentū, verum si propria claritudo non adsit, aliorū
splēdor evanescit, imò necessitas illi videtur impo-
sita esse, qvi sangvine inclarescere velint, ne à majo-
rum virtute degenerent, omnes namqve felicem
prædicant eum, in quem concurrit & nobilitas
generis, & virtutis. Qvare nihil præstantius
qvam multos proceres habere majores: nihil illu-
strius qvam facta parentum nobilis ex Catalogo
longo recitare: nihilqve nobilius qvam ipse virtu-
tem semp̄r habere sociam, eamqve instar Hercu-
lis sectari: jucundius sanè & pretiosius nec exco-
gitari nec inveniri potest, sed felix is putetur,
qvi & nomine & genere clarus est: nec tamen ca-
ret felicitate sua ille, qvi initia clara posteris relin-
quit, virtutemqve suæ nobilitatis fundamentum
habet, illa sola est, qvæ animum moribus ornat,
illa qvæ sectatorem suum reddit felicē & nobilem,
qvamvis humili sit loco natus. Plura hac de re
scribere industria tua Pereximie Domine C A N D I-
D A T E me prohibet, cum hanc materiam satis
nervosè, sc. Majestate stili, sententiis ponderosis,
& singulari Prudentiā explicaris; id circo, non
immerito jam finis studiorum, qvi est honor non
emendicatus, sed dudum promeritus in te confer-
tur. Et certè non errassem si te verè nobilem ap-
pellarem, cum non solum varii generis virtutes in
te micent, sc. laudabilis illa comitas, rara huma-
nitas, & constans amicitia; verum etiam seria lite-
rarum

rarum studia ; qvæ hominem sanè illustrem redundunt, ibidem inveniantur. Concurrant proinde nunc omnes virtutum & artium liberalium Deæ, qvibus à cunabulis in præsens addictus fuisti, Collamqve lauream in honorem fidelis sui clientis connectant, eamqve jam porrigant, non ac si suæ sapientiæ exploratori & transfugæ, sed custodi fidi. Propria id circo virtute, propria industriâ, & alacritate non adscititia tantum honorem tibi conciliasti, ut nomen Magistri non injusto titulo brevi possideas. Vale itaqve amice singularis, & vive in annos benè multos & felices, Deo gloriæ, tibi tuisqve saluti, & Patriæ, cui omnia tua egregia studia debes emolumento. Sed in posterum cum forte tuis valedicas, ex animo tamen ne perdas eum qvem oculis non vides. Sic brevitè simplici calamo, talem in te animum de siderans, honorem tuum condecorare voluit.

Tuus

O. RHEZELIUS

C. Ab. Nor.

Perec

Peregrinatio atque literatissimo
JUVENI VIR O,

Dn. PETRO FOGELBERG
Philosophiae CANDIDATO meritissimo,
pro summis in Philosophia honoribus
docte differenti.



St opus eximium, quod monstrat
nobilitatis
Vera naturam; nobilis iste
cluat

Non cui thesaurus solum, sed gloria patrum
Atq; decus proprium, munera tanta parant,
Nobilitas vera est vena dum constet origo,
Filius & patris servet ubiq; modos.

Si virtus, pietas simul ac consilia sana,
Ad primè spectant commoda, que patriæ;
Hoc nunc ostendis dextre sub præside celso
FOGELBERG docte differis &
sobrie,

Gratulor ergo Tibi felices hosce labores,
Mox etiam Musæ, præmia larga dabunt.
Et precor ex animo contingent prospera fata
Ne storeique dies! vive valeque bene.

Animo gratulabundo hæc pauca
scripsit

MAGNUS SYLVIUS
Wermi.